

curant, neque cuiusquam Ecclesiae cives esse cupiunt: sed sunt singulares.

2. Dicitur Ecclesia Hebræis Cahal & Edah, hoc est, congregatio, cœtus, conventus hominum: Græcis Synagoga, præsertim de Judæorum cœtu. Semel apud *Iacobum* 2. v. 2. accipitur de concione Christianorū: Et sic Epistola *Heb.* 10. v. 25. appellat ἐπισυναγωγὴν, ἐκκλησίαν generaliter dicitur quilibet cœtus: Speciatim, cœtus hominum causa religionis collectus.

3. Ut discrimen esset conspicuum, vocatur Ecclesia Dei, & Ecclesia Christi. Quæ vocatur Sancta, Catholica, Apostolica.

4. *Sancta*. 1. ut distinguatur à cœtu profano. 2. quia in illo cœtu Deus suo verbo sanctificat credentes.

5. *Catholica*, quia sine respectu seu discrimine locorum, nationum, linguarum, populorum & personarum, Christus iussit prædicare Evangelium in universo orbe, inter omnes gentes, sive omni creaturæ.

6. *Apostolica*: quæ in quavis orbis parte, super fundamentum Prophetarum & Apostolorum extructa, doctrinam Apostolorum fideliter & sincerè conservat.

7. Hæc est *communio Sanctorum*, hoc est, congregatio verè credentium. Sic enim in masculino genere ea vox accipitur, *Act.* 26. v. 18. *Col.* 1. v. 12. *1. Cor.* 14. v. 33. *Eph.* 1. v. 18.

8. An